

non cessabat, ea quæ bullarum colla subingressa semel fuerat ibi quoque detenta non poterat non detinere etiam illas, in fundo adeò hærentes, donec obturaculo supero remoto, exitus aëri peregrino esset concessus.

Causa 12.  
Phæn.

Causa 11.  
Phæn.

CONCLUSIO VIII. Quemadmodum verò aër extraneus in casu præcedente aquam in bullarum fauces cogens, eas ita aggravatas faciebat descendere; sic eundem effectum spiritus vini præstitit in casu duodecimi Phænom. eo planè modo, quem de superinfuso oleo Part. I. Tentam. V. Conclus. II. pluribus exposuimus, ex hætenus dictis etiam abundè manifestum. Quòd verò dulcis aqua super falsam, & in ea libratam sphæram, eundem effectum non habuit, causa fuit procul dubio dulcis aquæ cum falsa facilior commistio & confinia utriusque magis dubia & confusa. Quia enim aqua dulcis, tametsi aliàs falsâ levior, ex contactu falsæ facile falsedinem & ipsa contrahit adeoque gravior evadit; fit, ut æquè ac falsa prior sphæram se jam leviolem attollat ac innatare sibi faciat.

CONCLUSIO IX. Ex omnibus autem hisce Phænomenis evidens quidem est etiam oculis ipsis aëris intra bullas contenti compressio. Aquæ verò similem aliquam compressionem inde exprimere nondum ita tutò licet. Cedit equidem pressa aqua manifestò, sed cedit in loca priùs haut occupata. Utrum in seipsam infimul cedat aliquantum, è spatio quod embolus decurrit cum eo non solùm, quod aqua in bullarum collis occupat, sed etiam cum aliis, in primis circa obturaculum, receptaculis circumspectè exquisitis, comparato judicandum esset.

Causa 8.  
Phæn.

CONCLUSIO X. Nihil porrò superest, quàm ut de VIII. Phænomeno pauca dicamus, ejus causam ex ipsis circumstantiis facilè hariolantes. Suillas sc. vesicas oportet esse subtilioris ac densioris texturæ quàm bubulas & angustiorum pororum; siquidem (quod in enarrandis Phænomeni circum-